

N. M. II, 335.

h. b. s., 20.

DE

II R  
714

IVRE IN ARBORES VICINI  
IN NOSTRVM PROMINENTES AEREM

P R A E S I D E

GEORGIO FRIDERICO KRAVSIO D

DIGESTI VETERIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

CVRIAE PROVINCIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI

SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE

A S S E S S O R E

P R O G R A D V D O C T O R I S

R I T E O B T I N E N D O

DIE XXVIII. NOVEMBRIS A. R. G. MD CC LXV

I N A V D I T O R I O M A I O R E

P V B L I C E D I S S E R E T

A D O L P H V S A D L E R

A D V O C A T V S D R E S D E N S I S .



V I T E B E R G A E  
E X O F F I C I N A G E R D E S I A N A .





DE

IN VITIS ARBORIS VICINI

IN NOBILISSIMO MONTANIS ALIEM

GEORGIO FRIDRICHO KRAYSSO D

PHYSICIS ET MATH. PUBL. PROF. ORDINARIO

IN UNIVERSITATE HALLENSI

EX AMPLISSIMO

PH. G. N. N. D. O. R. S.

PH. G. N. N. D. O. R. S.

PH. G. N. N. D. O. R. S.

AD OLIVAE ABTE

PH. G. N. N. D. O. R. S.





DE  
IVRE IN ARBORES VICINI  
IN NOSTRVM PROMINENTES AEREM

§. I.

AREA DOMINVS CENSETVR QVOQVE  
DOMINVS ESSE AERIS  
SVpra FVNDVM EXISTENTIS

**A**EREM quidem e numero earum esse rerum, quae naturali iure communes sunt omnium hominum, aperte docet MARCIANVS, <sup>a)</sup> cuius sententiam suam fecit IVSTINIANVS, <sup>b)</sup> ac idem etiam VLPIANO <sup>c)</sup> placuisse constat; nec immerito, quandoquidem, vt OVIDIVS <sup>d)</sup> canit:

*nec solem proprium natura, nec aëra fecit;*

A 2

et



et cum aëris; in se spectati, inexhaustus permaneat vsus, videtur utique eius elementi innoxia omnibus patere utilitas. At enim vero definit ille promiscuus aëris vsus plane innoxius esse, si solum, aëri subiaccens, ab aliquo rite sit occupatum, et, si non semper manifesto cum detrimento, tamen cum magno vt plurimum incommodo legitimi possessoris fundi coniunctum foret onus, siquidem eum aëris supra aream suam existentis promiscuam cuiuscunque extraneo concedere vsuram oporteret. Proinde vel maxime aequitati consentaneum visum est iurium ciuiliū architectis, eiusdem etiam *coelum*, e) hoc est, spatium aëreum supra aream, esse debere, cuius est solum ipsum. Vnde non tantum fundi domino regulariter, et nisi forte speciale quoddam ius aut conuentio obstet, libere permissum est, in suo pro lubitu aedificare, ac in infinitum aedificia sua attollere, f) verum etiam defendunt eum iura, contra quemcunque, qui, seruitute destitutus, in eius aërem aliquod ius sibi arrogaturus est, veluti, si proiectum quid habere velit in aërem, tamen si hoc in ipso haut requiescat fundo. Pertinet huc, quod *VENULEIUS* g) censet, cum eo, qui proiectum aut stillicidium in sepulchrum immiserit, etiamsi ipsum monumentum  
non



non tangeret, recte agi posse, quod in sepulchro vi aut clam factum fit; hanc adiiciens rationem: *quia sepulchri sit non solum is locus, qui recipiat humationem, sed OMNE ETIAM SUPRA ID COELVM.* Similiter PAVLLVS <sup>h)</sup> ideo seruitutem immittendi, protegendi, et alias complures, impediri docet, si solum publicum vel via publica intercedat, *quia COELVM quod supra id solum intercedit, LIBERVVM esse debeat.* Et eadem procul dubio causa motus ALFENVVS, <sup>i)</sup> in specie, quam proponit, cum inter binas aedes paries esset, qui ita ventrem faceret, vt in vicini domum semipedem aut amplius procumberet, agi oportere iudicauit, ius non esse, illum *parietem ita proiectum esse IN SVO, inuito se.* Cui consentaneum quoque est, quod censet POMPONIVS, <sup>k)</sup> de arbore, ex vicini fundo in tuum inclinata vento, agere te posse aduersus vicinum, ex Lege XII. tabularum, ius ei non esse ita arborem habere.

a) MARCIANVS L. 2. §. 1. D. de rer. diuis.

b) IUSTINIANVS §. 1. I. de rer. diu.

c) VLPIANVS L. 13. §. ult. D. de iniuriis.

d) OVIDIVS *Metamorphos.* L. VI. Fab. III.



- e) Vid. Ev. OTTONIS *commens. Instit. Tit. de rer. diu. §. 1. et* CORN. VAN BYNKERSHOEK *Observ. iur. L. IV. c. 16.*
- f) L. 14. et 24. D. de *servitut. praed. urban. L. 8. C. de servitut. add.* ANDR. GALLII *observ. pract. L. II. obs. 69.*
- g) VENVLEIVS L. ult. §. 4. D. *quod vi aut clam.*
- h) PAVLLVS L. 1. pr. D. de *Serv. praed. urban.*
- i) ALFENVS L. 17. pr. D. *si servit. vind.*
- k) POMPONIVS L. 2. D. de *arbor. caed.*

## §. II.

IVRA ROMANA ARBORIS DOMINIUM  
EX COALITIONE CVM FVNDQ, NON EX  
IVRE AERIS AESTIMANT.

QVAMVIS autem ex his, quae iam dicta sunt, patefcatur, dominum fundi, aëris quoque supra fundum suum existentis, dominium quoddam iure sibi vindicare posse; non tamen exinde consequitur, vt omnia quoque, quae forte vicinus in aëre meo sine iure habet, veluti accessionis quodam iure peraeque mea fiant, ac ea, quae solo insita aut implantata sunt, solo cedere intelliguntur. Etenim plantae ac arbores ideo solo cedere censentur, quia ex fundo isto, quocum coaluerunt



luerunt, nutriuntur, ac noua alimenta, succumque, citra quem penitus exarescerent, vt viuere amplius non possent, capiunt, quo ipso ita mutatam esse plantam arboremue existimat PAVLLVS, a) vt, ea nouam plane obtinuisse naturam ipsi videatur. *Arbor, inquit, radicitus eruta, et in alio posita, priusquam coaluerit, prioris domini est; ubi coaluit, agro cedit, et, si rursus eruta sit, non ad priorem dominum reuertitur.* Nam, CREDIBILE EST, ALIO TERRAE ALIMENTO ALIAM FACTAM. Id quod Paulli fragmentum commentariolo haut inelegante illustrauit VLRICVS HVBERVS. b) Alia igitur et dispar plane est ratio earum arborum vicini, quae in nostrum quidem propendent aërem, sed non cohaerent, nec coaluerunt cum nostra terra, adeoque ex hac non nutriuntur, verum, ex mente POMPONII, c) separata a fundo nostro sunt corpora. Has secundum romani iuris regulas eius permanere, in cuius terram tantum radices egerunt, cum ex eo facile intelligitur, quod idem ICTVS, d) prout iam in priore obseruatum est paragrapho, eo in casu, quando arbor vicini in meum inclinata est fundum, non vindicationem arboris mihi permittit, sed saltem negatoria actione aduersus vicinum de adimenda arbore



arbore experiri me posse, docet: tum ex hoc luculenter patet, quod iura romana fructus arboris, in nostrum propendentis aërem, ne tunc quidem nobis attribuunt, si illi iamiam in nostram deciderunt aream, quin potius Praetor interdicto de glande legenda dominum arboris defendat, quo minus ei vis fiat, fructus hosce in nostro fundo intra triduum collecturo. e) Apertissime autem CAIVS f) eiusque sententiam secutus imperator IVSTINIANVS g) docet, plantam arboremue, antequam radices egerit, eius permanere, cuius fuerat, tamen si nostro insita sit solo; Multo igitur magis arbor, in nostrum saltem aërem ramos suos protendens, vicini manebit, cuius terrae alimento ea conseruatur, cum monente eodem CAIO et IVSTINIANO ratio non permittat, vt alterius arbor esse intelligatur, quam, cuius in fundum radices egerit, ideoque etiam, si arbor prope confinium posita in duorum dominorum fundos egerit radices, ea vtriusque domini sit communis. h)

a) PAVLVS L. 26. §. 2. D. de acquir. rer. dom.

b) VLRICVS HVBERS Digressionum Iur. L. IV. c. 24.

c) POMPONIVS L. 40. D. de actione empt.

d) IDEM L. 2. D. de arboribus caed.

e) VLEP-



e) *ULPIANVS L. vn. pr. D. de glande legend.*

f) *CAIVS L. 7. §. ult. D. de adquir. rer. dom.*

g) *IUSTINIANVS §. 31. I. de ver. diuis.*

h) *Vid. BACHOVIVS in Commem. Instit. ad cit. §. 31. de ver. diu.*

## §. III.

PROSPICIT TAMEN IVS ROMANVM  
DOMINO AERIS NE ARBOREM VICINI  
IN SVO AERE  
TOLERARE NECESSE HABEAT

**R**OMANA ergo iura si spectemus, hoc expeditum est, quod nec ramorum arboris vicinae in nostrum prominentium aërem, nec fructuum ex ramis illis prouenientium, aliquid nobis competat dominium, siue fructus illi cohaereant adhuc cum arbore, cum *CAIVS* <sup>a)</sup> moneat, quod fructus pendentes fundi pars esse videantur: siue iam deciderint in arcem nostram, nisi ius glandis legendae domino arboris, vt iam dictum est, concessum, elapso iamiam triduo, exspirauerit. At merito tamen cauerunt romani, ne detrimentum ex arboribus vicini in nostrum aërem excrescentibus, inuiti tolerare necessum habeamus. Hinc non modo *POMPONIVS* <sup>b)</sup> supra §. I. exci-

B

tatus



tatus, negatoriam de adimenda arbore actionem aduersus dominum commendat, verum praetor quoque tunc, quando per arboris stat dominum, quo minus ea adimatur, vel saltem coerceatur satis a fundo vicini, hunc interdictis adiuuat prohibitoriis, quo arborem sibi molestant, et quidem, si aedibus suis impendat, totam a stirpe excindere, lignaque sibi habere; si ea agro imminet, et dominus eam iuxta normam legum decemviralium *c)* subluere detrectet, pedes quindecim a terra altius coercere, ac ligna ita praecisa sua facere possit. *d)*

*a)* CAIUS L. 44. D. de rei vindic.

*b)* POMPONIVS L. 2. D. de arbor. caedend.

*c)* Vid. IO. NICOLAUS FVNCIVS in comment. ad LL. XII. tabular. Tab. VIII. Leg. V.

*d)* VLPIANVS L. I. D. de arbor. caed. add. IOANNES VOET in comment. ad Pand. cod. tit.

#### §. IV.

GERMANOS AC PRAESERTIM  
SAXONES DOMINIUM ARBORIS EX IVRE  
AERIS AESTIMARE  
COMMVNIS FERE EST OPINIO

**Q**UODSI germanicorum et praecipue Saxoniorum iurium interpretes consulamus, eam plerisque insidere opinionem

nem



nem deprehendimus, quod hodie dominium arboris non ex radicibus sit aestimandum, sed a iure æris dependeat. Ita

GEORGIUS BEYERVS: a) *Hodie, inquit, ius certum est:*

*Quicquid in ærem meum propendet, meum est, adeoque libere potest succidi, etiam domino non monito, fructusque ibi nascentes mei sunt.* Similiter BERGERVS b) regulam tradit: *Iure*

*ciuili ius soli, Saxonico autem iure, ius æris attendi; et paullo post sic pergit: ex quo consequitur, iure Saxonico vicino*

*competere dominium ramorum propendentium, ex eoque ius*

*1) succidendi ramos propendentes, 2) tollendi et colligendi fru-*

*ctus ex eiusmodi ramis decedentes.* Sic etiam WERNHERVS c)

pro certo statuit, in Saxonia ramos arborum in fundum pro-

pendentes vicini, ad hunc iure dominii pertinere. Praetereo

HENRICVM HAHNIVM d) et alios complures ita sentientes.

Tanto enim minus opus erit, vt iam plures excitem istius

opinionis patronos, quanto magis intelligo, ad vnum fere

omnes idem doctrinae suae praesidium in textibus nonnullis

partim IVRIS PROVINCIALIS e) partim WEICHBILDI

SAXONICI f) inuenisse sibi videri. Magis utique iuuabit,

ipfos hosce antiqui iuris patrii articulos inspexisse, atque,



num ex his verum aliquod ramorum vicinae arboris, in nostrum prominentium aërem, praestari possit dominium, curate inuestigasse, praesertim cum non omnino desint, istud ramorum dominium, ex iure aëris oriundum, in dubium vocantes, e quorum numero est IULIUS BERNHARDVS VON ROHR, g) qui simul BACHOVIVM h) pro se allegat; quemadmodum etiam in CHRISTOPHORI ZOBELII differentiis iuris ciuilibus et Saxonici, i) ideo erroris argui reperio LVDOVICVM FACHSIVM quod is ex dictis iuris Saxonici textibus dominium illud ramorum probari posse existimauerit.

a) BEYERVS in *delineat. iur. civ. ad rit. Pand. de arbor. caedend.*

b) BERGERVS in *Oec. iur. L. II. Tit. II. §. XVII. n. 2.*

c) WERNHERVS *observ. for. P. II. obs. cccxxxvi.*

d) HAHNIUS *ad Wesenbecium, Tit. de glande leg.*

e) IUS PROVINC. SAX. *Lib. II. Art. LII.*

f) WEICHBILD *Art. CXXVI. sequ. in Ludovici edit. est Art. CXXV. sequ.*

g) VON ROHR *im Haushaltungs-Rechre, L. V. cap. III. §. I.*

h) BACHOVIVS *ad Treutlerum Vol. II. disp. 22. th. 6. lit. F.*

i) ZOBELII *differ. iur. civ. et Sax. P. II. diff. XLII. n. 17. edit. Lips. 1610. p. 370. sequ.*



## §. V.

EA TAMEN OPINIO  
 IN IVRE SAXONICO PARVVM PRAESIDIUM  
 HABERE VIDETVR.

**N**E igitur quid nos teneat, audiamus ipsum iuris Saxonici tam provincialis quam Weichbildici compilatorem, ad cuius auctoritatem prouocare diximus eos, qui dominium ramorum arboris vicinae domino aëris adsignant. Verba articuli IVRIS PROVINCIALIS, quem illi pro se excitant, haec sunt: *a) Flicht sich der Hopfen über den Zaun, wer die Wurzel in dem Hofe hat, der greiffe über den Zaun so er allernaechst möge, und ziebe den Hopfen, was ihm folget, das ist sein; was des aber an der andern Seiten bleibt, der ist seinem Nachbarn. Seine Baum-Zweige sollen auch über den Zaun nicht geben noch hängen seinen Nachbarn zum Schaden.* Qui textus iisdem fere verbis repetitus legitur in iure Weichbildico. *b)* Alter, cui illi innituntur, locus IVRIS WEICHBILDICI, huius est tenoris: *c) Wo auch ein Baum zwischen zweyen Reuten stebet, und breitet die Zelgen in eines andern Mannes Hof,*  
 B 3 der



*der Herr mag ihn wohl verbauen, ob er will, und haenget Obst in seinen Hof, das ist zu recht sein.* At in his iuris Saxonici articulis ne verbulum quidem inuenimus, ex quo ramorum vicinae arboris, in nostrum prominentium aërem, dominium certo nobis iure asserere possimus. Imo vero ex illa potius specie, quam compilerator de lupulo tractat, illud intelligitur, quod Saxonum etiam moribus dominium plantae, (quidni etiam arboris?) ex radicibus potissimum aestimari consueuerit. Neque etiam ex hoc idoneum dominii ramorum duci poterit argumentum, quod ibi cautum legimus, ramos arboris sepe excedere non debere, si hoc vicino sit damnosum; siquidem non omne, quod vicinus sine iure habet in meo, ac mihi damnosum existit, illico meum fit. Denique ex potestate quoque illic concessa vicino, amputandi ramos arboris alterius, sibi in aëre suo incommodos, haud tuto colligemus dominium istiusmodi ramorum, nisi etiam vicinum ideo dominum existimare velimus alarum gallinae nostrae, in eius fundum euolantis, quia in IVRE WEICHBILDICO <sup>d)</sup> legitur: *Fliegen auch Hübner in eines andern Manner Haus, und zhan sie ihm Schaden, er mag sie greiffen, und ibnen die Fittige*

rige



*rige abbauen, und sie wieder heimfenden.* Multa enim licere in rem nobis damnosam, tametsi eius domini non sumus, fat multis, nisi in re trita superfluum videretur, demonstrari posset exemplis. e)

a) IVS PROVINCIALE SAX. *Lib. II. Art. LII.*

b) WEICHBILD. SAX. *Art. CXXVII. f. in Ludouici edit. Art. CXXXVI.*

c) IDEM IVS *Art. CXXXVI. f. in Ludou. ed. Art. CXXXV.*

d) IBIDEM *Art. CXXI. apud Ludou. Art. CXX.*

e) Vid. HENRICI COCCEII *dissert. de iure nocendi aliis Francof. 1715.*  
et STRYKII *diff. de damno rebus alienis licere illaro. extat in Volum. V.*  
*diff. STRYK.*

## §. VI.

FRUCTVS SALTEM RAMORVM  
DOMINO AERIS TRIBVIT IVS SAX.  
INTERDICTI DE GLANDE  
LEGENDA NVLLVS IN SAXONIA EST VSVS  
NOTATVR GLOSSATOR  
SPECVLI SAXONICI

**L**ICET vero dominium aliquod ipsorum ramorum vicinae arboris in nostrum aërem propendentium ex istis antiqui iuris



iuris patrii reliquiis non probari posse videatur, illud tamen ex iis apparet, quod Saxones fructus istiusmodi ramorum domino aëris adiudicauerint, non modo, si iam deciderint in eius aream, quem casum BERGERVS, <sup>a)</sup> CARPZOVIVS, <sup>b)</sup> et alii plures tractant, verum tunc quoque, si adhuc cum ramis cohaereant, cum compilerator speculi Sax. diferte fructus pendentes nominet; verbis: HAENGET *Obst in seinen Hof, das ist zu recht sein.* Id quod agnouit WESENBECIVS, <sup>c)</sup> iure Saxonico fructus in alienum fundum *pendentes* aut *cadentes* huius possessoris esse, docens. Vnde consequens erit, non posse dominum arboris vindicare fructus, quos iste ex ramis propendentibus decerpfit, aut vna cum ramis abscidit; multo autem minus, si in aream meam iam delapsi sint fructus, ius glandis legendae habebit arboris dominus; vt proinde sua sponte intelligatur, interdicti romani de glande legenda, quod BEYERVS, <sup>d)</sup> THOMASIVS, <sup>e)</sup> HEINECCIUS <sup>f)</sup> et alii in tota fere Germania exulare censent, nullum in Saxonia vsum esse posse, ac idcirco ineptam esse conciliationem iuris nostri domestici cum edicto Praetoris romani, quam hic tentauit GLOSSATOR IVRIS SAXONICI: <sup>g)</sup> *Du solst auch wissen, schürrest*



*schüttest du dein Obst, was in deines Nachbarn Hof fällt, das bleibt sein. Hier ist wieder ff. de glande legenda, l. ait praetor. Da stehet geschrieben: ich will nicht daß einen in seiner Fruchtlesung Gewalt geschehe, wenn sie von seinen Baum in deinen Hof fällt. Sage, es sey wieder einander nicht, denn er verbeut dort, daß man ihm keine Gewalt thue, und der thut man ihm nicht, so man es ihm mit Recht wehret. Dies vernimm auch, ob du das Obst ohne deines Nachbarn Schaden lesen mügest, das irret das nicht, das der titulus saget de glande legenda. Quas glossatoris nugas saltem indicasse, iamiam, vt opinor, idem erit, ac eadem refutasse.*

a) BERGERVS *Oec. iur. L. II. Tit. II. §. XVII, n. 2.*

b) CARPZOVIVS *Fart. III. Const. XXXII, def. XXV.*

c) WESENBECIVS *in Paratitl. Pand. tit. de gland. leg. §. 3.*

d) BEYERVS *in postit. ad Pand. tit. de arbor. caed.*

e) THOMASIVS *in not. ad Institur. p. 146.*

f) HEINECCIUS *in Elem. iur. germ. L. II. Tit. III, §. LXX.*

g) GLOSSATOR *ad ius prou. Sax. L. II. art. 5.*



## §. VII.

AMPVTARE PERMITTITVR DOMINO  
 AERIS RAMOS PROPENDENTES.  
 NVM LIGNA PRAECIDENDO SVA FACIAT,  
 DISQVIRITVR.

**L**ICERE aëris domino amputare ramos arboris vicinae supra fundum suum propendentes, clarissima sunt verba IVRIS WEICHBILDICI <sup>a)</sup> iam supra §. V. adducta: *der Herr mag ihn moel verbaueu, ob er will.* Quod ipsi licere, etiam si non antea monuerit arboris dominum, recte censet BEYERVS. <sup>b)</sup> Sed num etiam illum, si hoc iure suo fuerit vsus, isthac separatione lignorum succiforum dominum factum putabimus; an domino arboris eorum vindicationem adhuc integram esse dicemus? Huic enim vindicatur quodammodo patrocinari videbitur ista iuris regula, quam praecepit POMPONIVS: <sup>c)</sup> *id quod nostrum est; sine facto nostro ad alium transferri non potest.* At videtur utique dominus arboris facto omisso, dum scilicet ramos suos non rite coërcuit, quo minus vicino incommodi essent, tacite in id consensisse, ut vicinus eos praescindat,

dat,



dat, si velit, et ligna velut noxae habeat; et, cum in hac quaestione definienda clara iuris domestici deficiat dispositio, non incommodum ex subsidiario iure Romano in promptu erit argumentum, quod quippe, vt supra vidimus, vicino permittit, arborem sibi nociuam tollere, ac ligna sibi habere. Interdicti enim praetorii de arboribus caedendis etiam in Saxonia patere vtilitatem, inter alios monet MENCENIVS, <sup>d)</sup> cum illud quodammodo sit pinguius remedio Saxonico, siquidem vilitius interdicti non modo arborem, aedibus meis imminentem, totam euellere, verum etiam, siue ea urbano siue rustico praedio meo officiat, ligna excindendo mea facere licet. <sup>e)</sup>

a) WEICHBILD. *art. CXXXVI.*

b) BEYERVS *in priori §PHO cir. loc.*

c) POMPONIVS *L. II. D. de reg. iur.*

d) MENCENIVS *in Synopf. Pandect. tit. de arb. caed. §. I.*

e) VLPIANVS *L. I. D. de arbor. caed.*



## §. VIII.

VICINVS SVB PRAETEXTV  
 POSSESSIONIS AVT PRAESCRIPTIONIS  
 REGVLARITER IMPEDIRE NEQVIT  
 DOMINVM ARBORIS RAMOS  
 PROPENDENTES AMPVTATVRVM

**H**AVT raro euenit, vt vicino non damnosum aut molestum, quin gratum potius ac conducibile videatur, arbores vicini in suum ramos protendere aërem, ac ipsi veluti fructus offerre, vt proinde aegre ferat, si arboris dominus vel arbo-rem radicitus extirpare, vel ramos tamen in alienum euagan-tes coërcere velit. Quocirca subinde controuersia moueri solet a vicino turbationem possessionis suae praetexente; Cuius- modi lis nuper Scabinatui Vitembergensi diiudicanda offereba- tur, vbi vicinus de spolio sibi illato conquestus fuerat, cum reus ex arboribus quibusdam frugiferis, in suo quidem positus horto, sed supra agrum actoris ramos quosdam protendenti- bus, ramos hosce, vna cum fructibus, praecidisset, ac in suos conuertisset vsus. Vergebat actor, sese cum maioribus suis,  
 ramis



ramis illis eorundemque fructibus, per triginta annos et amplius, iure dominii vel quasi, ex iuris Saxonici auctoritate sibi competentis, quiete vsum esse. Amputatione igitur eorum ramorum reum manifesto commisisse spoliū causabatur, eumque non modo ad praestandum sibi ramorum fructuumque, qui tunc temporis cum istis cohaeserant, pretium adigi rogabat, verum etiam, cum ipsi facto isto vicini spes fructuum futurorum annorum simul intercepta esset, hoc nomine triginta annorum, (tamdiu scilicet arbores illas adhuc perennare posse, probabile actori videbatur,) indemnitate postulabat. Reus e contrario, factum quidem suum amputationis ramorum cum fructibus non dissimulans, negabat tamen praetensum actoris dominium ramorum, et sibi potius tanquam domino arborum vi naturalis libertatis licuisse contendebat, eas ita coërcere, cum adeo, si ipsi libuisset, earum penitus evellendarum ac extirpandarum habuisset facultatem. Recte sic se defendisse reum putamus. Equidem haut diffitemur, existere casus, vbi vicinus cum in possessorio, tum etiam pro conditione rerum, quae circumstant, in petitorio, obtinere possit, quo minus domino arboris suae utilitatem vicino inter-



cipere liceat; veluti in possessorio, tunc, si actus prohibitiuos, in quibus adqueiuit dominus arboris, docere, adeoque quasi possessionem iuris prohibendi demonstrare possit vicinus: ac in petitorio quoque, si v. g. is probare queat, iure alicuius seruitutis, interueniente forte conuentione, vel aliis iustis rationibus, rite acquisitae, obstrictum esse dominum ad patendum aliquem arboris vsumfructum. Nihil enim, hodiernis praesertim iuribus, subtilitatum iuris romani in doctrina de seruitutibus non adeo tenacibus, obstabit, quo minus seruitus possit imponi arboribus, cum ne subtilis quidem PAVLLVS a) seruitutem ita constitutam, vt pomum decerpere liceat, penitus improbasse videatur. b) At hoc solum, quod vicinus hucdum arboris in suum prominentis aërem vsus est fructibus, etiam si id per longissimum tempus quiete fit factum, nullum plane ius tribuit, prohibendi dominum, ne, arborem tollendo aut praescindendo, spem vltioris fructus vicino adimat. Etenim quousque domini libertas naturalis per quoddam seruitutis genus hae parte non restricta est, eousque manet res merae facultatis, arborem suam aut tolerare adhuc, aut extirpare, aut saltem ramos praecidere. Huiusmodi autem actus  
merae



merae facultatis nec sub praetextu possessionis quenquam impedire, nec praescribi illis posse, nisi inde ab eo demum tempore, quo dominus, ab altero prohibitus, in hacce acquieuit prohibitione, expediti iuris est. c) Frustra igitur de spolio et damno dato conqueritur vicinus, quando dominus ius ex naturali libertate sibi competens rite exercet. Neque enim spolium patitur, qui ipse non possidere intelligitur, cum spolium is demum committat, qui alienam sine iure interuertit possessionem; nec quisquam damnum facit, nisi qui id facit, quod facere ius non habet. d)

a) PAVLLVS L. 8. D. de Servitut.

b) Vid. PRAESIDIS Programma de sensu cit. L. 8, de Servit. prodit Vitembergae anno 1750.

c) Conf. WERNHERI obseru. Forens. P. V. obs. LXXI. et LEYSERI Medis. ad Pand. Spec. CCCCLXII. med. III. sequ.

d) PAVLLVS L. 151. D. de reg. iur.



## §. IX.

ILLVSTRATVR ARGVMENTVVM  
RESPONSO QVODAM  
SCABINATVS VITEBERGENSIS

**I**N ea igitur specie, quam in priore proposuimus *spbo*, cum actoris petitio solido quidem careret fundamento, neque tamen, propter opinionem complurium Iurisconsultorum de dominio ramorum conceptam, temeraria plane videretur, ita pronunciatum est in Scabinatu nostro; *Daß Klägers Suchen nicht statt hat; Die beyderseits aufgewandten Vnkosten aber werden billig gegen einander compensiret und aufgehoben. V. R. W.* His adiectis rationibus: *Ob wohl Kläger in denen Gedanken stebet, daß da Beklagter von sechs unterschiedenen in seinem Garten stehenden fruchttragenden Birn-Bäumen die auf sein, Klägers, anstossendes Feld herüber gebangene, und wenigstens mit zwey Scheffel Birnen bestandene Aeste eigenmächtig abgebaunen, und so wohl das Holz als die Birnen nach sich genommen, selbiger hierdurch ein Spolium begangen, und solchergestalt ihm nicht nur den Werth derer abgebaunenen Aeste, und an sich genommenen Birnen, sondern auch die ihm dadurch wenigstens auf*

*Dreyßig*



Dreyßig folgende Fabre entzogene Nutzungen zu ersetzen, verbindlich worden, allermassen, daß ihm an forbanen Aesten und Früchten das Eigenthum zugehöret, in dem Sächf. Land-R. Lib. 2. Art. 52. und Weichbild Art. 125. et 126. offenbar gegründet sey, er auch, nebst seinen Vorfabren, sowohl die jetzt abgehauenen, als die übrige annoch herüber hangenden Aeste derer in Klägers Garten stehenden Eichen und Birnbäume seit 20. 30. und mehr Fabren, iure dominii vel quasi, geruhig genuzet, und gebrauchet habe, solchemnach, und da er auffer denen bereits angezogenen Gesetzen, den Beyfall derer bewährtesten Rechtslehrer, besonders Carpozvii Part. III. Const. 33. def. 25. n. 5. Leyseri in Iure Georg. L 3. c. 11. §. 3. p. 533. Bergeri in Oecon. iur. Lib. 2. Tit. 2. §. 17. n. 2. et Wernberi Vol. I. P. II. obs. 426. vor sich habe, Beklagter nach dem Perito fol. 3. um so gewisser zu condemniren sey, da selbiger den 1. 2. 4. 5. 9. und 12ten Punct der Einlassung eingeräumet, auch die bey der unternommenen Befichtigung gebaltene gerichtliche Registratur fol. 7. den Grund der Klage bestärke:

Diemeil aber Klägers Meynung, als ob ihm an denen auf sein Feld herüber gebangenen Aesten derer in Beklagters Gar-

D

ten



ren befindlichen Bäume das Eigenthum zustehe, er also selbige, nachdem sie Beklagter abgehauen, nebst denen daran gewesenen Früchten, zu vindiciren, oder, da sie nicht mehr vorhanden, die Erstattung des Werths zu fordern berechtigt sey, nicht gegründet ist, indem, wenn gleich nach der Absicht des Land-Rechts Lib. 2. art. 52. und Weichbilds Art. 125. et 126. und der diesfalls übereinstimmenden Meynung derer Rechts-Lehrer, einem Grund-Herrn, wenn die Aeste von seines Nachbats Baume berüber auf sein Grund Stück hängen, selbige, so weit sie berüber hängen, abzuschneiden, auch die Früchte davon abzunehmen, nicht weniger des von solchen Aesten herab auf seinen Boden fallenden Obsts sich anzumassen, nachgelassen ist, dennoch dem Nachbar als Eigenthümern des Baums hierdurch die Freyheit, entweder den Baum selbst, oder dessen Aeste nach Gefallen abzubauen, und selbige nebst denen noch daran befindlichen Früchten, da diese ein *accessorium* von jenen sind, in seinen Nutzen zu verwenden, nicht benommen ist, *cum dominus arboris suos ramos succidere, atque ita vicino spem fructuum adimere non prohibeatur*, *Menccen. in Synops. Pand. Lib. 43. tit. 27. §. 2. in fin.* vielmehr derselbe, wenn er die Aeste, so nach des andern Grund-Stück über

han-



hängen, abnimmt, der *Vorschrift des Land-Rechts Art. 52. Lib. 2.*  
*und Weichbilds Art. 126.* nach welchen er seine Baum-Zweige nicht  
 über den Zaun geben noch hängen lassen soll, sich gemäß bezeigt,  
 gestalt es auch bey den 125sten *Articul des Weichbilds*, worinnen  
 dem Nachbar das in seinen Hof hangende Obst zugeeignet wird,  
 keine andere Meynung hat, als daß, so lange der Eigenthümer  
 des Baums, wider die *Vorschrift des Saechsichen Rechts*,  
 seine Zweige über den Zaun auf des Nachbars Boden  
 gehen und hängen läffet, dieser nicht nur sorbane Zweige,  
 so weit sie zu ihm herüber geben, abbauen, sondern auch,  
 wenn an selbigen Obst hanget, sich zugleich desselben als  
 seines Eigenthums anmassen könne, solches ihm nachgelassene  
 Befugnis aber, so bald der Eigenthümer des Baums seine herüber  
 gebende zweige, abgehauen, und kein Obst mehr zum Nach-  
 bar hinüber hänget, von selbstn wegfällt, solchemnach Klüger  
 mit seinem Suchen abzuweisen gewesen, jedoch, da er probabi-  
 lem litigandi causam gehabt, selbiger mit Erstattung der Un-  
 kosten billig verschonet wird; So ist, gesprochener  
 maassen von uns erkannt.




AKTK 714

X 238019A

M. 15





Farbkarte #13

B.I.G.

N. M. II, 335.  
A. 65, 20.

DE  
IVRE IN ARBORES VICINI  
IN NOSTRVM PROMINENTES AEREM

II R  
714

PRAESIDE  
GEORGIO FRIDERICO KRAVSIO D

DIGESTI VETERIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
CVRIAE PROVINCIALIS CONSISTORII ECCLESIASTICI  
SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
ASSESSORE

PRO GRADV DOCTORIS

RITE OBTINENDO

DIE XXVIII. NOVEMBRIS A. R. G. d. b. cc. lxxv

IN AVDITORIO MAIORE

PVBLICE DISSERET

ADOLPHVS ADLER

ADVOCATVS DRESDENSIS.



VITEBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

